

vini. Sic enim, Es. L, 8, ipse Dominus & Servator noster de Deo profitetur, quod sibi sit **প্ৰিয়**, *propinquus*, quod ipsum de sola velle interpretari appropinquatione Dei secundum amorem & gratiam, non vero etiam simul de appropinquatione secundum essentiam divinam, Nestorianum ac Socinianum esset, atque his clarissimis scripturæ locis prorsus contrarium, Joh. XIV, 10, Col. II, 9, quorum in illo dicitur Pater esse in Filio, & Filius, scilicet Christus, in Patre κατ' ἐνύπαρξιν; in hoc vero πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος dicitur κατοικεῖν ἐν αὐτῷ σωματικῶς. Atque hoc ipsum tam luculentum appropinquationis essentiæ quoque ipsius divinæ argumentum est, ut hanc in dubium vocare desierint multi, etiamsi modum ejus specificum ineffabilem atque incomprehensibilem esse animadverterint. Conf. GERH. *in Exeges. LL. de Deo & Attr. Div. §. 187, sqq*, quem ipsum & alios, quo jure in suam sententiam trahere potuerit BAIERIUS, *in Comp. Theol. P. I, C. I, §. XII*, omnem essentiæ divinæ appropinquationem negando, illud judicent alii. Nos hactenus appropinquationem Dei referentes, partim ad essentiam Dei ipsam, partim ad operaciones divinas, nunc secundum gratiam, nunc secundum iram, se se exerentes, hoc ipso non negamus, quod in hac appropinquatione, porro explicanda, possit etiam simul relatio institui quædam, tam ad propinquitatem temporis, quam ad propinquitatum reliquas species, supra jam commemoratas, quod ex infra dicendis abunde satis intelligetur. Enim vero, nec iudicia divina imminentia, nec beneficia divina promissa, respuunt propinquitatem, seu appropinquationem, temporis, nec reliqua, per Nomen Dei connotata, propinquitati, huic vel illi, simili repugnant.

## §. VI.

Cum vero & mirabilium speciatim fiat mentio in  
C nostro